Pretiosa dicatur juxta Ritum Breviarii Romani, ideoq lecto Martyrologio, ac dictis quæ in nostro Breviario reperiuntur usque ad Jube Dne benedicere.

In Dominicis et ferijs ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam 1 Quadrag. et ab Octava Pentecostes usque ad Adventum exclusive

Dominus autem dirigat Corda et Corpora vestra in Charitate Dei et Patientia Christi. tu autem Dne &c.

à Dom. 1 Adventus usque ad Vigil. Nativitatis Dni exclusive

Domine miserere nostri, te enim exspectavimus: esto Brachium nostrum in mane, et salus nostra in Tempore tribulationis. tu autem Dne &c.

à Dom. 1 Quadrag. usq. dom. Passionis exclusive

Quærite Dominum dum inveniri potest: invocate eum, dum prope est. tu autem &c.

à Dom. Passionis usq. ad fer. 5. in Cœna Dni

Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me: Dne Deus auxiliator meus et ideo non sum confusus tu autem Dne &c.

à Dom. Resurrect. usq. ad Ascensionem Christi

Si Consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite: ubi Christus est in Dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super Terram. tu autem Dne &c.

De Apostolis Capitulum

Ibant Apostoli gaudentes à Conspectu Concilii: quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu Contumeliam pati.

De Evangelista Capitulum.

In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, et implevit eum Dnus Spiritu Sapientiæ et intellectus: Stolam gloriæ induit eum.

De Martyre. Capitulum.

Pro justitia agonizare pro anima tua: et usque ad mortem certa pro justitia.

De Martyribus Capitulum

Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ: visi sunt oculis insipientium mori; illi autem sunt in pace.

De Confessore Capitulum.

Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi Regnum Dei et dedit illi scientiam Sanctorum: honestavit illum in laboribus et complevit labores illius.

De Confessore Pontifice Capitl.

Fungi Sacerdotio, et habere laudem in nomine ipsius: et offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis.

De Virgine et Martyre Capit.

Domine Deus meus, exaltasti super terram habitationem meam: et pro morte defluente deprecata sum. Invocavi Dominum patrem Domini mei: ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, et in tempore tribulationis superborum sine adjutorio.

De Virgine et non Martyre Capit.

O quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius: quoniam apud Deum nota est, et apud homines.

De nec Virgine nec Martyre Capit.

Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas. Fallax gratia et vana est pulchritudo: Mulier timens Dominum ipsa laudabitur.

## De Martyre tantum Capit.

Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum: quoniam eruis sustinentes te, et liberas eos de manu Angustiæ, Domine Deus noster.

## In Dedicatione Ecclesiæ Capit.

Fundamentum aliud nemo potest ponere; præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.

## In Festis B: M: Virginis.

In plateis sicut Cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

## De Sancta Cruce.

Nos autem prædicamus Christum Crucifixum: Judæis quidem Scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis, atque græcis Christum Dei virtutem, et Dei Sapientiam.

## De Sancto ~~[illegible]~~ Raphaele.

Tempus est, ut revertar ad eum qui me misit: vos autem benedicite deum et narrate omnia mirabilia ejus.

## De Ascensione.

Viri galilæi, quid statis aspicientes in Coelum? hic Jesus, qui assumptus est a vobis in Coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Coelum.

## In Die Pentecostes

Facta autem hac voce convenit multitudo et mente confusa est: quoniam audiebat unusquisque lingua ~~[illegible]~~ sua illos loquentes.